

ES THEOL.  
MUSEI





Dies muß 11





DISPUTATIO THEOLOGICA  
*De*  
BAPTISMO,

*Quam*  
Auspice Deo Optimo Maximo  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

*Plurimum Reverendi & Excellentissimi,*  
DN. JOHANNIS MUSÆI,  
SS. Theol. D. & Prof. Publ.  
In Illustri Academia Salana

Ad diem Augusti  
*Publico Examine exponet*  
M. CHRISTIANUS KEILIUS,  
Felteng. Respondens.

---

IENÆ,  
TYPIS JOH. JACOBI BAUHOFERI.  
Anno cl. 13. LXIV.





DISPUTATIO THEOLOGICA  
BAPTISMO

Auspice Deo Optimo Maximo  
SUB PRÆSIDIO

V. R. I.

DN. JOHANNIS MUSEI

88. Theol. D. & Prof. Publ.

in Illustri Academia Salana

Ad diem Augusti

M. CHRISTIANUS KEILIGS

Febr. Respondens.

JENÆ

TITUS JON JACOBI BARNHARTER  
Anno cl. 1714. LXIV.







Σὺν τῷ Θεῷ

I.



Rimitus quidem homo viribus ad legem divinam implendam salutemque æternam consequendam sufficientibus conditus à DEO fuit: sed postquam in peccatum prolapsus vires concreatas perdidit, lex etiam, quæ non nisi perfectè impleta salvare potest, impotens reddita est, hominiquè corrupto medium obtinendæ salutis æternæ esse desuit. Ne itaque peccato immersum iræque divinæ & damnationis æternæ reum genus humanum æternum periret, decrevit Deus mittere Filium suum unigenitum, qui in assumptâ carne pro obnoxio morti æternæ hominibus mortem obiret ignominiosissimam, & præstitâ pro peccatis satisfactione plenâ ab interitu eos vindicaret. Quam Dei voluntatem & misericordiam plus quàm paternam Filius Dei in diebus carnis suæ non tantum verbis, sed etiam institutis signis visibilibus sive Sacramentis declaravit.

II.

Licet autem Pontificii Novi foederis Sacramenta septem numerent, & sub anathemate eos damnant

A 2

ment





ment, qui non omnia septem à Domino nostro Jesu Christo instituta esse dixerint: nos tamen duo tantum numeramus, & à Filio Dei instituta credimus, *Baptismum* scilicet, & *Cenam Dominicam*. Illorum posteriore seposito, de priore, baptismo scilicet, pro ingenii viribus breviter nunc bono cum Deo acturus sum.

### III.

**E**st autem vox *Baptismi* ambigua, & in sacris literis variè accipitur. Denotat enim interdum, impropriè & per similitudinem I. *Crucem & afflictionem*, *Matth. XX. 22. Marc. X. 38.* Vocatur talis baptismus à Theologis *baptismus Sanguinis*, de quo Servator *Matth. X. 38.* ad discipulos loquitur, *potestisne, inquit, baptizari baptismo, quo ego baptizor?* II. Miraculosam & visibilem *effusionem donorum Spiritus sancti* in festo Pentecostes super Apostolos, & in primitivâ Ecclesiâ super alios credentes factam. Vocatur hic baptismus à Theologis *baptismus Flaminis*. Similitudo consistit in eo: quemadmodum in baptismo perfundimur aquâ, ita donis Spiritus sancti Apostoli sub signis sensibilibus opulenter perfudebantur. De hoc baptismo ait Johannes *Matth. III. 11. & Luc. III. 16. Ego baptizo vos aquâ, ille autem (Christus) baptizabit vos Spiritu Sancto & igni.* Dantur adhuc aliæ significationes hujus vocabuli in sacrâ Scripturâ. Et quidem *I. Cor. X. 2.* significat miraculosum Israelitarum per mare rubrum transitum. *Matth. XXI. 25. Actor. I. 22.* per Synecdochen totum ministerium Johannis vocatur *baptismus*.

### IV.

**P**ropriè accepta baptismi vox iterum duplicem obtinet significationem: generalem unam, alteram



ram specialem. Generaliter denotat quamvis lotionem atque immerfionem, *Marc. VII. 4.* Specialiter verò & *καὶ ἐξοχὴν* illam lotionem sacram, quâ in nomine SS. Trinitatis tincti renascimur, Christoque inserimur, significat. Atque hæc ultima significatio hîc invenit locum, juxta quam baptismus describi potest, quòd sit actio divinitus instituta, quâ homines, non habito sexus aut ætatis discrimine, aquâ sive per immerfionem, sive per asperfionem abluuntur in Nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, ut per eam vel regenerentur, & remisfis peccatis in filios Dei adoptentur, vel illorum regeneratio & adoptio obfignetur & confirmetur.

## V.

**C***Ausa efficiens* baptismi duplex datur. Una *Principalis*, altera *Instrumentalis*. Principalis est Deus, unus in essentiâ, & trinus in personis. Sacramenta enim sunt media & sigilla conferendæ & obfignandæ nobis gratiæ ac remissionis peccatorum, quæ instituire non nisi illius est, cujus est gratiam & remissionem peccatorum conferre, Dei scilicet, unius in essentiâ, & trini in personis, sicut etiam in nomine trium divinarum personarum, Patris, Filii & Spiritus sancti baptismus, vi institutionis, peragendus est, & peragitur. Hinc Johannes Baptista, qui primus Baptismi minister fuit, à DEO missus est, ut baptizaret aquâ, *Joh. I. 33. Luc. III. 2. 3.* ejusque baptismus de COELO esse dicitur *Matth. XXI. 25. 32.* ut Pharisei, nolentes ab ipso baptizari, consilium DEI sprevisse dicerentur, *Luc. VII. 30.*

A 3

VI.





## VI.

**I**nstitutionem Baptismi, sub initium statim suscepti à Johanne ministerii factam, Christus, ad cœlos adscensus, repetiit, præscriptâ certâ verborum formulâ, & adjecto mandato de baptismo, gentibus sine discrimine omnibus administrando: *Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Quæ ipsam institutionis baptismi sedem continent. Præscribunt enim ipsa formalia baptismi, ut scilicet peragatur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, quæ in nullo alio Scripturæ loco ita distinctè præscripta leguntur.

## VII.

**I**nstrumentalis causa est ordinarius Ecclesiæ Minister. Non enim Deus ipse baptizat, sed ut ad docendum, ita & ad baptizandum, hominum utitur operâ. Et quamvis Christus in diebus carnis suæ docendi munere ipsemet functus sit, non tamen æquè baptizandi functus est officio. *Jesus enim non baptizabat, sed discipuli ejus, Joh. III. 2.* Et demandatum quidem fuit baptizandi munus, æquè ac munus docendi, vocatis Ecclesiæ ministris, qui Dei nomine legatione functi sunt: quorum primus erat Christi præcursor *Johannes*, qui inde *Baptista* nomen sortitus est. Hunc secuti sunt Christi *discipuli, Joh. IV. 2.* quibus etiam Christus post suam ex mortuis resurrectionem, cum ad cœlos adscensus esset, baptismi gentibus omnibus administrandi officium solenniter injunxit, *Matth. XXIIII. 19.* Atque hi ad baptismum administrandum vocabantur à Deo immediatè.

## IIX.



### IIX.

**H**odie *ordinariis Ecclesia ministris*, mediatè & per Ecclesiam à DEO vocatis, munus hoc de lege communi convenit. Vocantur enim ab Ecclesiâ ad eadem docendi & Sacramenta administrandi munia, ad quæ Apostoli olim à DEO immediatè mittebantur.

### IX.

**D**ico notanter : *De lege communi.* In casu necessitatis enim baptizandi potestas conceditur etiam laicis, masculis ac fœminis, Christianæ tamen religionis eatenus gnaris, ut baptismum Christi institutioni conformiter administrare possint.

### X.

**V**Oco autem necessitatis casum, quo minister ordinarius non præstò est, & infantulo, vitâ periclitanti, vel absque baptismo decedendum, vel per laicum baptismus ei administrandus est. Quo in casu tutius est, per laicum administrari baptismum, quàm permitti, ut eum salutis periculo infans sine baptismo decedat : cùm manifesta sint verba Domini : *Nisi quis genitus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum, Joh. III. 5.*

### XI.

**N**Equè valori aut efficaciam baptismi quicquam per hoc decedit, quòd non ab ordinario Ecclesiæ ministro administratur. Valor enim, vis & efficacia baptismi non dependet à conditione baptizantis, sed à divinâ institutione, Dei que gratiâ supernaturali, cum eo conjunctâ.

### XII.



## XII.

**S**ive igitur laicus sive clericus sit, qui baptizat, & sive dignus sive indignus sit, baptismus tamen, si divinæ institutioni conformiter peractus sit, validus est.

## XIII.

**Q**uod ipsum procedit etiam de *intentione* ministri. Quamvis enim Ecclesiæ ministro danda sit opera, ut in administratione Sacramentorum animo præsentem, attentum & intentum sit, tamen si contingat, ut quis cogitationibus distractis & ad res alias intentis sine intentione debitâ baptizet, integritati aut valori baptismi ex intentionis defectu nihil decedet, modò in substantialibus baptismi nihil mutatum aut omissum fuerit. Sed satis de causâ efficiente baptismi.

## XIV.

**M**ateria baptismi est *aqua*, quàm Christus *Johan. I. II. 5.* nominatim expressit: *Nisi, inquit, quis fuerit genitus ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quò facit etiam, quòd *Johannes*, qui Dei jussu primus baptizavit, *aquâ baptizasse* dicitur, *Matth. III. 6. II. 16. Actor. I. 5.* Similiter *Philippus* & alii discipuli baptizârunt *aquâ*, *Actor. IX. 36. 38. cap. X. 47.* Et *Paulus* vocat baptismum *lavacrum aqua per Verbum*, *Eph. V. 26.* Errârunt itaque *Seleuciani* & *Hermiani*, qui, teste *Phylastro*, igne baptizârunt, inducti verbis *Johannis Baptistæ*: *Ipse (Christus) vos baptizabit Spiritu sancto & igne, Matth. III. 11.* sed malè intellectis. Errant etiam, qui opinantur, deficiente aquâ, alium quemvis liquorem adhiberi posse, ut inter alios *Beza*  
in



*in Epist. II. ad Thom. Tilius opinatus est. Rectius Bucanus, Scriptor itidem Reformatus, in loco de baptismo: Externa, inquit, baptismi materia est aqua vera, pura, naturalis, sine discrimine simplex, non mixta, non medicata, non stillatitia, non oleum, non sanguis, non ignis, non sabulum aut aliud quodvis elementum.*

### XV.

**I**mmersione autem in aquam, ut initio in Ecclesiâ fieri consueverat? an aspersione aquæ peragatur baptismus? perinde est. Nihil enim hac de re in Scripturis præscriptum invenimus: sicut nec de eo, an una vel trina sive immersio sive aspersione adhiberi debeat, quicquam in Scripturis determinatum, sed id omne Ecclesiæ arbitrio & libertati relictum est.

### XVI.

**F**orma baptismi est invocatio *S. S. Trinitatis*, quam Christus *Matth. XXII 8. 19.* conceptis verbis præscripsit: *Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Quæ proinde sine mutatione adhibenda est, aut si absit, vel non ritè adhibeatur, Sacramento huic sua veritas minimè constabit.

### XVII.

**N**on igitur Baptismus validus fuit, quando *Ariani* baptizârunt *in solo Patre vero Deo, in Jesu Christo Salvatore & creatura, & in Spiritu Sancto, utriusque servo;* vel cum *Eunomiani* baptizârunt *in nomine Dei increati, Filii creati, & Spiritus sanctificativi, & à creato Filio creati.* Quas formulas ipsis in usu fuisse, *Hieronymus adversus Lucifer. Athanasius Serm. III. contra Arianos, & Epiphanius hæres. LXXVI.* memorant.

B

XIIX.





## XIIX.

**I**Nvocatione SS. Trinitatis, ad Christi præscriptum adhibitâ, declaratur inter alia, quòd baptismus non sit vulgaris quædam lotio, sed sacra & salutaris, per quam tota SS. Trinitas in salutem hominis efficax esse velit, Spiritus sanctus quidem eum regenerando & renovando, vel regenerationem confirmando & ob-signando, renovationemque continuando; Filius merito passionis & mortis suæ eum à peccatis purgando & abluendo, & Pater eundem in filium recipendo.

## XIX.

**E**âdem continetur articulus Christianæ fidei præcipuus, qui est de SS. Trinitate. Confitemur enim tres ejusdem essentix, gloriæ & majestatis personas, Patrem scilicet, Filium & Spiritum sanctum; & qui in hanc verborum formam baptizatur, agnoscit & profitetur, Deum esse ut Patrem, Filium & Spiritum sanctum colendum, eique sic agnito se subicit & obstringit.

## XX.

**I**n Ecclesiis Occidentalibus usu receptum est, ut minister baptizans, SS. Trinitatem invocaturus, in primâ loquatur personâ, dicatque: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* In Ecclesiâ Græcâ autem idem verbo passivo in tertiâ utitur personâ: *Baptizetur,* inquit, *hic servus Domini in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Quæ diversitas nihil detrahit substantiæ aut valori baptismi. In institutione enim baptismi neutra loquendi formula expressè præscripta est, sed vi illius baptizanti simpliciter injungitur, ut *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizet*: quod  
uter-



uterque præstat, eum qui juxta consuetudinem Ecclesie occidentalis dicit: *Ego baptizo te &c.* tum qui Græcæ Ecclesie formulâ usus: *Baptizetur, ait, hic servus Dei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

## XXI.

**O**bjectum baptismi sunt homines vivi: quod patet cum ex Christi mandato: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos;* tum ex praxi Baptistæ & Apostolorum, qui non nisi vivos homines baptizasse leguntur.

## XXII.

**E**rrârunt igitur Cerinthiani, cum mortuos, vel, referente *Epiphanio heres. XXIIIX.* alios pro mortuis baptizârunt, neq; in loco *Pauli I. Corinth. XV. 29.* quicquam præsidii illorum error habet.

## XXIII.

**P**atet autem aditus ad baptismum omnibus omnino hominibus, cujuscunque sint nationis, sexus, ætatis, status aut conditionis, Judæis sc. & gentibus, & qui in illis sunt, infantibus æquè ac adultis, masculis & foeminis, servis & liberis. Christus enim, ad cœlos adscensurus, loco sæpius citato, *omnes GENTES* baptizare jussit. In *Judæis* autem jam ab initio ministerii *Johannis* Baptismus invaluerat. Et in utrisq; infantes & adulti, masculi ac foeminæ, liberi & servi, aliarumque conditionum homines reperiabantur, nec quenquam à baptismo repulsum unquam fuisse, legimus. Quin *Joh. III. 5.* Christus baptismum omnibus, non habitâ ratione sexus, ætatis, status aut conditionis diversæ, necessarium facit: *Nisi quis, inquit, renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

B 2

XXIV.



## XXIV.

**E**X parte adultorum baptizandorum prærequiritur  
I. *fides in Christum*, quam ex fidei in capitibus religionis Christianæ institutione eos hausisse oportet, juxta illud Christi: *Euntes, DOCETE omnes gentes, baptizantes eos &c. Matth. ult. v. 19. Qui CREDIDERIT & baptizatus fuerit, saluus erit, Marc. ult. v. 16.* II. *ejusdem professio publica.* III. *suscipiendi baptismi desiderium.* Nemini enim invito baptismus conferendus aut obtrudendus est.

## XXV.

**E**X parte infantum verò tale nihil prærequiritur. *Destituuntur enim usu rationis, ut nec institutio in doctrinâ fidei, nec fidei professio, nec denique baptismi desiderium in eos cadat.* Admittendi ergo sunt ad baptismum sine ullâ præviâ dispositione aut præparatione. Et fidelium quidem infantes sine exceptione omnes admittendi sunt; infidelium verò infantes tum demum baptizare licebit, cum parentes, ut baptizentur & in religione Christianâ postmodum educentur, consenserint, vel si jure belli, aut emptione, modisve aliis in nostram venerint potestatem, eosque in religione Christianâ educatum iri, spes fuerit. *Invitis autem parentibus ut eripiantur & baptizentur, neque fas neque tutum est.*

## XXVI.

**F**inis baptismi duplex est: *Ultimus & intermedius.*

## XXVII.

**U**ltimus est *salus æterna, Marc. ult. vers. 16. Tit. III. 5.*

## XXIIX.



## XXIIX.

**I**ntermedius est hominis *regeneratio* *Joh. III. 5. Tit. III. 5.*  
*remissio peccatorum, Actor. II. 38. & ejusdem renovatio*  
*Tit. III. 5.*

## XXIX.

**Q**uamvis verò cum in adultis, tum in infantibus  
Baptismus ad *regenerationem ac renovationem*, tan-  
quam ad finem tendat, non tamen eodem modo in u-  
trisque ad eam tendit.

## XXX.

**I**n adultis tendit ad eam confirmandam & obfignan-  
dam. Adulti enim vel jam ante baptismum ex audi-  
tu verbi conceperunt fidem in Christum; vel sunt hy-  
pocritæ, & baptismum suscepturi simulant se habere fi-  
dem, quam non habent. Si hoc? Baptismus illis ad  
salutem non prodest, quamdiu in hypocrisi persistunt,  
adeoque nec *regeneratio* nec *renovatio* per eum confer-  
tur. Non enim quisquis baptizatus est, sed *qui credi-*  
*derit, & baptizatus fuerit, salvus erit, ait Christus Marc.*  
*ult. v. 16.* Sin illud? Jam renati sunt *ex semine non corru-*  
*ptibili, sed incorruptibili, per sermonem Dei vivi, I. Petr. I.*  
*23. Jac. I. 18.* Fides in Christum enim absque regene-  
ratione nemini obtingit. Est enim ipse regeneratio-  
nis terminus, ut alibi docetur. Ergo baptismus in il-  
lis non producit demùm *regenerationem & renova-*  
*tionem*, sed eandem, verbo Evangelii jam antè produ-  
ctam, confirmat & obfignat, perinde ut *Abrahamo* cir-  
cumcisio non conferebat demùm *justitiam fidei*, sed  
eandem, in præputio acceptam, confirmabat, *Rom. IV.*  
*vers. 11.*

B 3

XXXI.



## XXXI.

**I**N infantibus autem Baptismus tendit ad *regenerationem & renovationem efficiendam*. Infantes enim, quia usu rationis destituuntur, nec intellectu verbum Dei percipere, nec regenerari per illud possunt, quostamen renasci oportet, juxta illud Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei, Joh. III. 5*. Relinquitur ergo, quod renascantur per ipsum baptismum, qui ipsis est *lavacrum regenerationis & renovationis, in Spiritu sancto efficienda simul & obsignanda, Tit. III. 5*.

## XXXII.

**A**Tque hunc effectum consequitur Baptismus in infantibus omnibus. Cum enim usu rationis non polleant, obicem ponere ejusque operationem impedire non possunt. Non æquè autem in adultis omnibus Baptismus suum consequitur effectum, sed in iis saltem, qui virtute Verbi prædicati jam fide salutari imbuti sunt. Qui autem hypocriticè fidem se habere simulant, cum baptizantur, illis baptismus nec confert nec confirmat & obsignat regenerationem & renovationem. Non confert eam: quia adultorum nemini, uti dictum, eam confert, sed per Verbum prædicatum collatam confirmat & obsignat. Non confirmat & obsignat illam: quia hoc ipso quod in hypocrisi baptismum suscipiunt, fide destituuntur: & quia destituuntur fide, nec regeneratio nec renovatio locum in illis invenit. Quæ autem iis non insunt, per baptismum ipsis confirmari & obsignari non possunt. Non entis enim nullæ sunt affectiones, accidentia nulla.

XXXIII.



## XXXIII.

**S**i autem postea conversi, & ut *Petrus* loquitur *I. Ep. c. 1. 23. regeniti per sermonem Dei vivi*, fide in Christum donentur, tūm Baptismus, in hypocrisi collatus, incipit ipsis actu esse *lavacrum regenerationis & renovationis*, & confirmat obsignatque *regenerationem & renovationem* subsecutam, æquè ac in aliis præviā, ut baptismum iterari necesse non sit. *Donna Dei enim sunt ἀμεταμέλητα*, sive talia, quorum pœnitere ipsum non possit, *Rom. XI. 29.*

## XXXIV.

**D**e Baptismo *Johannis*, sitne ejusdem speciei & efficaciam cum Baptismo Christi, hoc est, cum baptismo ad Christi præscriptum *Matth. ult. vers. 19.* administrato? dubitatum olim fuit, & in negativam partem adhuc hodieque abeunt Pontificii. Nobis verò affirmativa veritati magis consentanea videtur. Et quidem quòd ejusdem speciei fuerit cum baptismo Christi, probamus ita: Baptismus *Johannis* & Christi conveniunt in omnibus causis. I. non differunt essentialiter. Conveniunt enim I. *in causà efficiente principali.* *Johannes* enim non baptizavit propriā autoritate, sed missus à Deo, *Joh. I. 33. Matth. XXI. 25. jussu Dei, Luc. III. 2. 3.* II. *in materiali.* Nam *Johannes* & pariter Christi discipuli baptizârunt aquâ, *Matth. III II. Marc. I. 8. Act. IX. 36. seqq. cap. X. 47.* III. *in formali.* *Johannes* enim, ut baptizandi mandatum, ita indubiè etiam verborum formulam, quâ in baptizando usus est, à Deo accepit: quæ si non verbis planè eadem fuit cum illa, quâ postea ex Christi præscripto usi sunt Apostoli, quoad rem tamen cum eâ convenisse, vero prorsus consentaneum



neum est. IV. in finali causâ. Joh. enim, æquè ac Apostoli,  
baptizavit in remissionem peccatorum, Marc. I. 4. Luc. III. 3.

## XXXV.

QVòd etiam ejusdem fuerit efficaciz, patet ex ejus  
causâ finali. Erat enim Johannis Baptismus *Ba-  
ptismus pœnitentia in remissionem peccatorum*, ut loca ex  
Marc. I. 4. Luc. III. citata docent. Ergo efficax erat ad  
remissionem peccatorum, atque adeò etiam ad rege-  
nerationem & adoptionem sive conferendam, sive  
confirmandam & obsignandam.

## XXXVI.

NON ergo necessarium erat, ut qui Johannis Bapti-  
smo tincti fuerant, postea etiam Christi Baptismo  
tingerentur, neque id ex Act. XIX. 5. probari potest.

---

## Corollaria.

- I. *Theologia est disciplina practica. Unde*
- II. *Non malè traditur methodo analyticâ.*
- III. *Ejus principium unicum est Scriptura sacra.*
- IV. *Consensus tamen antiquitatis Ecclesiastica nonnullus in  
illa usus est.*
- V. *Librorum, quos vocant, Apocryphorum Novi Testamen-  
ti major est auctoritas, quàm Apocryphorum Vete-  
ris Testamenti.*
- VI. *Eos nonnulli haud ineptè Canonicis annumerant, & dif-  
ferentia causâ de utroque utriusque sive canonicos secun-  
di ordinis appellant.*

FINIS.



99 A 6948

ULB Halle

3

002 840 022



Ruhr

Vb 17






DISPUTATIO  
D. ECCLESIAE







25.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
*De*  
**BAPTISMO,**

*Quam*  
Auspice Deo Optimo Maximo  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

*Plurimum Reverendi & Excellentissimi,*  
DN. JOHANNIS MUSÆI,  
SS. Theol. D. & Prof. Publ.  
In Illustri Academia Salana

Ad diem Augusti  
*Publico Examine exponet*  
M. CHRISTIANUS KEILIUS,  
Felteng. Respondens.

---

IENÆ,  
TTPIS JOH. JACOBI BAUHOFERI.  
Anno clc. lxc. LXIV.

